

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9030

**Auteur(s) :** Raoul, Fougères (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1163

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Raoul de Fougères confirme à Savigny les donations que Marie fille de Rualon Bastard, Richard Juhel et son frère Alain ont faites de ce qu'ils possédaient dans la paroisse de Savigny. Lui-même abandonne tout pouvoir sur Savigny.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Paris, Arch. Nat., L 975, n° 1073.

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Abrincensi, n° XXIX)

Texte d'après A

Quoniam religiosis suaque omnia cum ipso seculo ob amorem vite eterne deserentibus beneficia largiri elemosinarumque impensis subvenire humanitatis esse fideique dinoscitur ego Radulfus dominus Filgeriarum monachis Savigneii, quorum abbatiam fundasse fideliterque amasse antecessores meos, avum scilicet meum et patrem meum et matrem meam, cognovi, pro remedio enim mee et antecessorum meorum et uxoris mee ac filiorum meorum concessi et omnino confirmavi donationem quam fecit Maria filia Ruallonis Bastardi et Ricardus patruus ejus, scilicet quicquid habuit Willelmus Bastardi in parrochia Savigneii in terris, hominibus, molendino, bosco et plano, ecclesia et decimis et in omnibus omnino rebus absque ulla retentione. Concessi etiam et omnino confirmavi predictis monachis Savigneii donationem quod fecit Ricardus Juhelli, scilicet quicquid habuerat ipse Ricardus in parrochia Savigneii in terris, hominibus, molendino, bosco et plano, ecclesia et decimis et in omnibus omnino rebus, necnon etiam ius et dominium primogeniti super Alanum fratrem suum. Concessi etiam et omnino confirmavi donationem Alani fratris predicti Ricardi, scilicet terras istas masuram que vocatur Berauderia et dimidiam masuram Ernaudi filii Aie et quartam partem masure que vocatur Teburgeria et quatuor acras terre et dimidiam de masura Herberti filii Adelais. Hec autem omnia libera penitus et quieta et ab omni servitio seculari michi vel successoribus meis persolvendo concessi. Constat ergo monachos habere ex donatione supradicte Marie et Ricardi patrum ipsius dimidiam villam Savigneii ex integro, ex donatione Ricardi Juhelli quartam partem ejusdem ville, ex donatione vero Alani terras supranominatas. Ego autem totum dominium quod in villa Savigneii habebam prefate dono abbacie, nichil servicii secularis michi successoribusque meis in ea retinens nichilque aliud querens preter divinam retributionem et quod ad meam predicta elemosina pertinebit protectionem ac defensionem. Actum

anno ab Incarnatione Domini M° C° LX° III° sub testibus istis. Willelmo abbate de Filgeriis, Willelmo et Juhello  
canonicis, Willelmo Andegavensi.